

/ Ill/me Domine

Frater Hieronimus Laurentius Capucinus germanus meus cum ad comitia ordinis sui Romae anno superiori convocata proficisceretur, fasciculum in quo erat Appendix nostra ad Breviarium Romanum inter
5 sarcinas Florentiae reliquit. Cumque dudum ea nos aleret spes ut tandem haec certo nuncio ad Ill/mam et R/mam D.V. pervenirent, mirati sumus ea sic manibus ac memoria amicorum excidisse, indeque tantas moras post acceptas literas Ill/mae ac R/mae D.V. interjecimus, coacti postmodum ea R.P.Ruffo Augustiniano commendare. Appendicem
10 ergo ad Breviarium ac Missale Romanum Ill/mae ac R/mae D.V/ae offero, ac suppliciter exoro uti illam sacrae congregationi exhibeat examinandam et approbandam, quatenus Ecclesia nostra im posterum his uti valeat amoto omni prorsus scrupulo. R/mus D/nus Franciscus Claretus J.U.D.Ecclesiae nostrae Archidiaconus hanc opellam concin-
15 navit atque contexuit, author ille, ego fidejussor, ambo opem nomenque Amplitudinis Vestrae imploramus; si ea qua solet singula comitate prosequatur, gratum Deo, Ecclesiae Arelatensi perutile, mihi totoque clero nostro honorificum praestabit, gratiasque sempiternas reddemus. Eadem insuper fiducia R.P.Ruffum et negotiade quibus plu-
20 ribus vobiscum aget quantum possumus commendamus. Quae ab Ill/ma D.V. expectat sunt officia pietatis, e quibus religioni et Reipublicae Arelatensi maximi proventus advenient. Deus te multos annos servet incolumem Cardinalis Amplissime meque obsecro post deosculatas manus experire quantum sim ad omnia

25 Ill/me et R/me D/ne

V/rae Amplitudinis obsequentissimus

Gasp.Arch.Arelaten/s.

Arelati 14 April.1614.